

**Disputatio medica theoretico-practica de officio medici circa adiaphora /  
[Johann Baptist Ledergerw].**

**Contributors**

Ledergerw, Johann Baptist.  
Alberti, Michael, 1682-1757.  
Universität Halle-Wittenberg.

**Publication/Creation**

Halae Magdeburgicae : Litteris Christiani Henckelii, [1708]

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/n3t5p27z>

**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

DISPUTATIO MEDICA THEORETICO-PRACTICA  
DE  
**OFFICIO MEDICI  
CIRCA ADIAPHORA,**

*Quam*

AUSPICE DEO OPTIMO MAXIMO,  
IN ILLUSTRI ACADEMIA FRIDERICIANA  
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO  
**DN. PHILIPPO WILHELMO**  
PRINCIPE BORUSSIAE, MARCHIONE BRAN-  
DENBURGICO, AC DUCATUS MAGDEB.  
VICARIO,  
GRATIOSISSIMO FACULTATIS MEDICÆ CONSENSU,  
SUB PRÆSIDIO  
**MICHAELIS ALBERTI,**  
MEDICINÆ DOCTORIS,  
Publicæ Ventilationi exhibet  
RESPONDENS  
**JOHANNES BAPTISTA LEDERGERW,**  
Diesenhoftano - Helvetus.  
d. Septembr. A. O. R. MDCCVIII.

---

HALAE MAGDEBURGICAE,  
LITTERIS CHRISTIANI HENCKELII, ACAD. TYP.

THEATRUM MUNDI - THEORETICO-URGENDA  
PHYSICO-MATHEMATICO-LOGICO

ANNO MDCCXCVIII.

OMNIA IN LIBRIS ET SCIENTIA  
MAGNA IN LIBRIS ET SCIENTIA

OMNIA IN LIBRIS ET SCIENTIA  
MAGNA IN LIBRIS ET SCIENTIA

OMNIA IN LIBRIS ET SCIENTIA  
MAGNA IN LIBRIS ET SCIENTIA

ITINERARIUM

OMNIA IN LIBRIS ET SCIENTIA  
MAGNA IN LIBRIS ET SCIENTIA

OMNIA IN LIBRIS ET SCIENTIA  
MAGNA IN LIBRIS ET SCIENTIA

OMNIA IN LIBRIS ET SCIENTIA  
MAGNA IN LIBRIS ET SCIENTIA

OMNIA IN LIBRIS ET SCIENTIA  
MAGNA IN LIBRIS ET SCIENTIA



## PROOEMIUM.



Am sacra & religioso animo vene-  
randa inter mortales æstimatur  
Philosophia, ut secundum ejus u-  
sum & exercitationem non tam  
selectus personarum sed ani-  
morum instruatur, quorum glo-  
riam post funera neque dies ne-  
que temporis mutabilitas dele-  
bit, sed ad altiora fastigia nobilitatis, dignitatis,  
memoriæ & celebrationis evehet, & elevabit: hæc enim  
illa Palæstra omnis felicitatis audit, quæ optima consilia  
& adminicula pro *autagia* animi & corporis obtinendâ  
promptè ministrat, & sponte largitur; hæc ut facundus  
comes in omnibus reliquis scientiis, disciplinis & artibus  
celebratur, quæ nobiscum peregrinatur per salebrosos  
rerum gerendarum anfractus, & bivia seductionum, &  
impedimentorum; hæc ut alma nutrix tenellulorum æ-  
que ac firmiorum animorum cum publico ferè applau-  
su veneratur, laudatur & colitur, quæ plena ubera sua,  
præ dulcedine, jucunditate, soliditate & dexteritate tur-  
gida uberrimè effundit, & cum voluptate emulgenda of-  
fert: tam sacra olim, neque indignior inter nostrates re-

putatur Philosophia, ut mirum esse minimè debeat, quod omnium scientiarum, fons, fundamentum, & fulcimentum esse, fieri, manere, requiratur, & provocetur, imo, quod verus Philosophus pro divino homine, & numine quasi terreno æstimetur, haheatur, & exponatur. Ast mihi non exponendam eligo illam Philosophiam, de quâ dicitur, quod verus Philosophus sit etiam bonus Christianus, id quod absolute in dubium vocare, neque audeo, neque possum, sed aliam Philosophiæ habilitatem, & exercitationem explicandam, & applicandam sumo, quæ in nostro foro, & arte Medica ornamentum, splendor comodum, & promptuarium felicitatis, utilitatis, & salubritatis esse potest, & esse etiam solet. Quem latet fortè nostrum, illud commune suffragium, quod *bonus Medicus debeat esse bonus Philosophus*, imò, quod adhuc pro egregio testimonio, & monumento inservit, quando Divus Senex cum summa generositate, & gravitate eloquitur in libr. *de decenti habitu*: Δεῖ μετάγειν τὴν σοφίην ἐς τὴν ἵπτευσην καὶ τὴν ἵπτεικην ἐς τὴν σοφίην ἵπτεος γὰρ Φιλόσοφος. ισόθεος: opertet sapientiam ad Medicinam transferre, & Medicinam ad sapientiam. Medicus enim Philosophus Deo æqualis habebatur: adeo solennis est illa Philosophiæ seu sapientiæ provocatio, ut non tam antiquitas, quam recentior ætas ejus dignitatem, & utilitatem, vel celebris admodum vel vivis adhuc splendidis exemplis, offerat, adferat, efferrat Loquitur hæc *Hippocrates* inter mortales de mortalibus, undè alienum esset, tam ambitiosum, & fastuosum hoc effatum declarare, quo hominibus absolute aliquam divinitatem, & non aliam nisi ethnicam, & superstitionem promittat, sed disserte & distincte statim subiungit, quib⁹ factis Medicus Deo æqualis fieri queat, quippe

pè quæ si modestius interpretantur, facile excusabunt  
 hujus eloquii simplicitatem & dexteritatem : hæc enim  
 $\sigma\tau\tau\eta\varsigma$  non ad universalem hominis statum sive absolu-  
 tam essentiam sese extendit, sed primo tantum aliquam  
 transitoriam & gratuitam similitudinem indicat, deinde  
 accidentalia de Medico prædicat, quod famâ, & gloriâ in-  
 tra mortalium limites  $\sigma\tau\theta\epsilon\varsigma$  existere queat : quæ cum  
 famam hominis maxime respiciant, ita minime ultra ter-  
 minos restrictæ, & per hyperbolæ indicatæ immortalis  
 diduci debent. An ad tantum famæ suæ fastigium  
 Medicus Philosophus pervenire queat, haud dissentio;  
 esthujus gloriæ fulgens specimen ipse antiquus ille Me-  
 dicorum parens, cuius splendorem tempus mille anno-  
 rum extingvere haud fategit, sed ad ultima spatia denique  
 constanter transferre perget. Hæc  $\sigma\alpha\Phi\alpha\alpha$  cum osores  
 suos passim ab omni ætate & in omni tempore obtinue-  
 rit, ita diversa offendicula, & scandala eandem irrepse-  
 runt, ut nihil turpius nisi philosophi nomine hinc inde ex-  
 primi potuerat, aut quod nihil tam absurdum proferri  
 queat, quod non à philosopho dicatur; hinc illæ frustra-  
 tionestam egregii nominis, ubi multi veram illam sapi-  
 entiam pro usurâ, & testimonio avaritiæ tradiderunt,  
 quos tamen talem malam sapientiam exercentes,  $\sigma\alpha\Phi\alpha\tau\alpha\varsigma$   
 Socrates solide refutavit, & plebis fecibus merito  
 exposuit, tanquam perversæ sapientiæ cultores, & ma-  
 gistellos. Neque fastum & ambitionem in philosophiâ  
 suâ Hippocrates annotavit, verum rectius omnem su-  
 perbiæ, philavtiæ & spuriæ autoritatis eliminationem se-  
 riò commendavit, ac specialius pecunia contemptum, vere-  
 cundiam, reverentiam, modestiam in vestitu, bonam existi-  
 mationem, Iudicium, lenitatem, promptitudinem, munditi-

em , sententiosam eloquendi concinnitatem , cognitionem  
 καθαρίων χερῶν καὶ αὐγυναῖων , evacuationum , purgatio-  
 num ( sive sponte fientium , sive per medicamenta eden-  
 darum ) ad vitam utilium & necessariarum , graviter an-  
 notavit , laudavit , & suasit : & hanc Philosophiam Medicos  
 docuit , quando illā gloriam affectare contendunt ; quippe  
 quæ sicuti minimè nudæ philavtiæ inhæret , sed plures  
 scaturigines commodi in artem Medicinā effundit , ita me-  
 ritò ex Hippocratis vero sensu commendanda , & laudan-  
 da est . Utinam modo tam simplex & sincera substi-  
 tisset illa philosophia practica Hippocratica ! non deerunt ,  
 qui mihi facilem assensum præbeant , quod tam utilis  
 philosophia criticis , & Catachresticis excursionibus tur-  
 bata passim , imò perturbata fuerit , ut verbis magis ,  
 quam solidâ rationali & iudiciosa cognitione illæ purga-  
 tiones ad vitam utiles , & necessariæ deductæ , & expli-  
 catæ fuerint , undè ex laudabili , & de experientiæ ro-  
 bore erutâ philosophiâ , sterilis philologia , & verborum  
 fastus ortum duxit : quantum verò hæc lubido loquendi ,  
 colloquendi , & obloquendi profecerit , testatur illa Medi-  
 cina quæ citra Philosophiam Hippocratis exercetur . Et  
 quemadmodum Laudabilis sapientia Medica usum in se  
 incomparabilem promittit , ita summus Medici , aut ad  
 veram artem Medicam adspirantis labor & conamen  
 esse debet indefessum , ut non tantum eandem recte &  
 solidè cognoscat , & agnoscat , sed subinde pariter acqui-  
 rat , ut omnium fructuum & utilitatum exinde eman-  
 nantium particeps fieri , & perpetuus constans posses-  
 sor esse queat . Turpis vero est illa Philosophia , quæ  
 tropicis magis Laudibus , & dictiōnum exaggerationi-  
 bus turget , cuius frons calva , vultus austerus & sordi-  
 dus

dus, oculi ambitiosi, os mendax, pectus gratuitis opinionibus turgidum & squalens, abdomen fecibus superstitionum oppletum, pedes labiles, titubantes & inconstantes sunt, hæc enim minime *ἰσόθεον* reddit Medicum, sed communi hominum opprobrio & offendiculo exponit: quæ verò rerum suarum certa, integra, constans, ubique cohærens, sincera, solida & à communi loquacitate aliena est, illa certè sponte & dextrè summam felicitatem Medico spondet & promittit: *quæ si quis elinguis usu discreta bene novit, hunc aliquanto maiorem Medicum futurum, quam si sine usu linguam suam excollerit; Morbi enim non eloquentiā, sed remediis curantur, ut solidè Celsus eloquitur.* Tantus profectò abusus reperitur in Medicinâ, ut Philosophia pro ornamento & fugitivo splendore non raro assumatur, neque ad illam cognitionem purgationum in vita utilium & necessariarum applicetur, sed quæ temerariâ quandoq; & superfluâ eloquentiâ, verborum elatione, ac lenocinio, & quas Hippocrates sophisticas argumentationes increpat, principiorum domesticorum applicatione gloriatur & superbbit. Hæc est nata & germana supposititiæ & spuriæ Philosophiæ, quæ factis & experientiæ contrariatur, quæ *Φρεσκίου* accelerat & incipit, ante usum seu experientiam, sive ad veterum, ipsius divi senis, Galeni & Valeriolæ monitum, ante cognitionem morbi & hominum naturæ atque speciei, etatis, privati etiam moris, quem *ἰδιοτυγχασίαν* vocant, regionis, temporis status, & ceterorum quæ ad morborum curationem necessaria sunt. Hæc philologia quantum detrimentum sapientiæ Medicæ conciliet, brevibus & in compendio vix eloqui potest, ut tantum aliqua hinc indè tangere, & artem Medicam successivis vicibus ab ejusmodi, abusibus vindicare, defend-

fendere, repurgare, & suæ integratî restituere, meritò de salute & famâ Medicinæ solliciti, allabarent & cooperentur. An non talis Philologia, aut rationis & elocutionis Rheticæ studium, experientiæ præposita, multis tricis potius & ambiguitatibus in artem Medicam rephantibus, viam & occasionem subministraverit, haud dubitandum est, siquidem prudens therapia hujus morbi faciem detegit & develat. Tam diffusa verò & extensa hæc sentiendi, & loquendi libido est, ut quandoque recursus deficiat, & applicatio solida omnem reliquam opinionum farraginem & apparatus destituat & frustatur, ut unicum illud subsidium adhuc præstò sit, in fine tale tentamen offerre & commendare, quod neque crudius opinioni, neque crassius experientiæ repugnat, imò, quod neque theoriæ neque praxi notorium aliquod & conspicuum commodum, præjudicium aut nocumentum (ut opinatur) conciliare potest; Interim sub indifferentismo tali multas æquivocationes involvit & continet. Quæ verò cum solidæ arti Medicæ minimè veram sapientiam, utilitatem & æstimationem afferrant, sed eandem coniecturis, speculationibus & experimentis oppleant; Ita sanè convenit hoc negotium paulò exquisitus & providè magis inquirere, pertractare, & verum studium Medici circa offendicula talia designare. Hinc de præsenti utilem illam materiam de *Indifferentismo Medico*, sive de **O F F I C I O M E D I C I** CIRCA **A D I A P H O R A** tam secundum dictum rationis, quam experientiæ verum consensum, explicandam suscepimus.

Quod conamen, ut in benignissimi Dei honorem, proximi verò emolumentum cedat, & nostræ intentioñis verum scopum attingat, est, quod humillim è exoptamus.

§. I.

**C**um de *Indifferentismo Medico, & officio Medicis circa A-*  
*diapboradifferere constituerimus, pauca quædam,*  
*antequam rem ipsam pertractemus, de vero sen-*  
*su & autoritate indifferentismi prælibanda erunt,*  
*præmissâ modestâ excusatione ipsius Thematis, & appli-*  
*catione ad propositum nostrum. Præbuit nobis occasio-*  
*nem pro hâc materiâ condigne pertractandâ Hippocrates,*  
*qui in lib. de flat. Medicinam prudenter & solidè explicat,*  
*quod sit πρόσθετος ἢ αὐτοῖς, additio & subtractio, & eorum*  
*quidem quæ abundant, subtractio, eorum verò quæ deficiunt ad-*  
*ditio; subjungit statim characterem boni Medici; Qui ve-*  
*rò istud optimè facit, is optimus Medicus existimandus est;*  
*qui que plus abest ab eo præstanto, is plus in arte Medica de-*  
*ficere censetur. tam solicite ille suum cuique tribuit, attendit,*  
*& commendat, ut illis, qui talia probè observant, præmi-  
*um laudis constituat; hanc Medicinam verò tam pruden-*  
*ter distinguit, ut abundantiae subtractio, & defectui ad-*  
*ditio inserviat, quos actus minimè confundit, aut inter in-*  
*differentes collocat, sed ex justâ & conveniente horum ad-*  
*ministratione optimum Medicum dijudicat, & commen-*  
*dat; huc facit illud Celsi testimonium, de veter. Medicinâ:*  
*non enim quidlibet, inquit, antiquiores viros ægris inculcasse*  
*sed cogitasse, quid maximè conveniret, & id usu explorasse ad*  
*quod ante aliquâ conjecturâ ducti essent: Utrique vero hi*  
*viri, de re Medicâ optimè meriti, tam serio inculcant,*  
*quod in arte Medicâ non conveniat, quid pro quo tenta-*  
*re, sed ita exquisitè suis rationibus indicationes jungere*  
*ne error obrepatur & artem Medicam confundatur. Tam im-*  
*plicata verò est non nunquam Medicina, ut in morbis, quos*  
*Hippocrates αὐτοῖς καλεπωτάτοις obscurissimos & difficil-*  
*linos appellat, opinionem magis, quam artem exerceat; iisque tali**

râ & medelâ subveniat, quæ si non positivè juvare, attamen nocere nequeat, aut non debeat, & quæ si ad experientiam descendit, dicit Baglivius, vel per jocum imitatur naturam, vel ex paucis experientiæ manipulis, ad axiomata generalia, intempestivè transcendit, & ab his potius, quam à Phænomenis sedulo detectis ad causam latentem argumentatur: Hæc argumentatio si fida, vera, & integra haud deprehenditur, tamen aliquid agere imperat, ne patientem destituat, & Medicinam, ut mancam, imperfectam & incertam aliorum risui & ludibrio exponat: Inde oriuntur illi indifferentismi inter Medicos cordatores, qui dum patientem infido aliquo tentamine aggredi recusant, tamen eundem non penitus deserunt, sed analepticis, nervinis, corallinis, perlatis, & fixis antimoniatris tractant & instruunt, ex talibus sicuti moderationis eliguntur, ita notabile quoddam nocumentum inferre non judicantur: Hinc illa formula inter plebem jaendum insoluit hilfes nicht/so schads nicht; an verò cum tali medelâ abundantiæ, subtræctio, & defectui, additio subjungatur, vix credo, verum rectius, multa exinde dubia & ambiguities, tam in diagnosi, quam prognosi, & therapiâ occurunt & insolescunt. Hinc minimè titulus disputationis nostræ ad metaphysicam extendi debet; neque nostrum conamen irritum & inutile reddet objectio illa, quod neque veteres, neque recentiores de tali materiâ unquam scripserint, aut disputaverint, & quod adeò ut novum & inauditum quid, scientiæ & arti Medicæ consulere & inservire nequeat; cum econtra antea tradita applicatio dicti Hippocratici ad nostrum propositum, autoritatem non novitatis, sed antiquitatis clarius designet, & ipsa explication non nisi usum realem practicum promittat & offerat, qui ex cognitione ejus quod secundum rectam rationem fieri debet inclarescit & profluit.

Circa verum sensum *Indifferentismi*, dicimus quod *indifferens* nil aliud sit, quam quod neque *bonum*, neque *malum* in se est, interim per *accidens* utrumque fieri potest: *Indifferentismus* est nobis actio in se neque bona neque noxia sed in *specialiore usu & applicatione*, per *accidens* scilicet, ad utrumque tendit & inclinat: agunt de hâc materiâ paulò frequentius Theologi & Philosophi, speciatim moralistæ, sed testatur etiam ipse usus rerum inter alios, quod extra horum forum, *indifferentia*, & *indifferentismus* passim occurrant; illi cum in decidendis *indifferentismis & acurati*, & solliciti esse soleant, ut applicatio-nes sinistræ, vitia, errores, & peccata præoccupentur, & tantus ejusdem usus doceatur & exhibeat, ut unicè ad bonum, minus vero ad malum & sinistrum effectum deducatur; interim utique constat, quod malè moratus, & ad mala de natura magis tendens animus hominum hunc *indifferentismum*, & *adiaphora* communiter ad noxia, prava, & sinistra deferat & dirigat; ita in medico foro non tantum multa *adiaphora* occurunt, sed tantus etiam eorundem abusus passim deprehenditur & assurgit, de quo effectus & finis testantur, quod in *indifferentismo* insignis tribatio & æquivocatio respectivè ad multiplicem scilicet usum lateat, & quod *adiaphora*, si non semper *positivè*, tamen multis vicibus *privativè* noxam, & errores pariant. Elegans est locus, quem de *medicina* in lib. de arte profert *Hippocrates*, & qui certo modo in nostram rem trahi potest; neque verò *magis*, inquit, quæ offendunt, quam quæ profuerunt, artem esse comprobant. Siquidem hæc quod rectè adhibita fuerint, profuerunt, illa verò ob incommodum eorum usum nocuerunt, quamquam ubi *reclum* & *pravum* suis finibus circumscribitur, quis hoc artem esse non

*existimet? neque enim artis nomine istud donandum existimo, in quo neque rectum, neque pravum inest: At ubi utrumque adfuerit, quis non hoc ex arte potius, quam sine arte effici fateatur? in quo loco ex verâ arte eliminat illud, in quo neque pravum neque rectum inest, si verò utrumque exoriatur, illud arti imputat, quasi talis Indifferentismus, quando aliquem effectum sortitur sive bonum sive malum, ad artem referendus sit, ut non minus Medicina adiaphorata lia includat & contineat, sicuti aliæ disciplinæ: & hic est sensus simplicior Thematis nostri, qui in applicatione magis elucebit.*

### §. III.

Illa vero est in hodiernis maxime temporibus sors, ut illæ res, quæ *autoritatibus* ornari possunt, magnum applausum & æstimationem recuperent, quid quod eo de venerè mortalium ausus, ut quando unum aut alterum vel longissimè etiam petitum assensum allegare queant, scientiæ, & peritiæ suæ abunde satisfactum fuisse, communiter credatur; quod verò ex indifferenti ejusmodi ad autoritates provocatione multæ una delusiones & frustrationes oriantur, testatur quotidiana etiam experientia: Hoc ipsum meritò de indifferentismo medico prædicari potest, quippe qui integratæ suæ firmitatem hinc indè ex autoritatibus suffulcire contendit; ut adeo minime ignorantiae & temeritatis argui forte debeat. Quem latet forte illud compendium indifferentismi quod *Celsus* communicat? *Satius est*, inquit, *anceps experiri auxilium, quam nullum*, quo dictero hinc indè tantam audaciam conciliavit, ut ad illud adiaphorum multi, tanquam summa auctoritate suffulti, provocent, & ex auctoritate veterum illud suadeant & imperent: cui verò in contrario refu-

resistit illud Hippocratis quod in lib. de fractis dicit:  
 qui nibil in consilium adhibent, plerumque nihil peccant, &  
 præ illo ancipit iremedio, satius esset tutissimum & cer-  
 tissimum seligere, quo non peccatur, aut error commit-  
 titur, qualem Medicum vehementer laudat Hippocrates in-  
 lib. de prisca Medicinâ. Offert sese in nostro negotio latissi-  
 mus praxeos Medicæ & experientiæ campus, in quo con-  
 tradicere absurdum & temerarium reputetur, quando  
 tot exempla & documenta hujus indifferentismi cum  
 maximis laudibus alibi efferuntur, quasi in hoc & in illo  
 anceps remedium tam nobilem effectum edidisset, ut se-  
 cundum communem formulam felicissime curatus fu-  
 erit æger: sed hæc adiaphora, & titubationes, aut incer-  
 titudines jam ipse plebs scit, quæ, quando Medicum in a-  
 liquo morbo vero auxilio destitutum animadvertisit, præ-  
 cipue si paulo diutius morbus patientem detinuerit, me-  
 dico quasi consilium illud tacite præbeat: Er möchte doch  
 dem Patienten ein Arzney verschreiben / aus der man sehen könnte  
 ob die Krankheit zum leben oder zum tod ausschlage. Tam in-  
 tricata est auctoritas indifferentismi, ut verum Judicium  
 de eo formando mihi illud Senecæ arrideat qui in epist 82  
 dicit: *Indifferens nihil gloriosum est, nihil indifferentium*  
 (quorum aliqua nominat) *per se gloriosum est*: licet hæc ad  
 moralia adiaphora pressius applicet, non tamen hujus  
 auctoritatis firmitas in Medicinâ deerit, quando omnes  
 errores & *ἀμαρτίατα* Medicus evitare debet, quæ facil-  
 lime & liberrime ex illo indifferentismo enasci solent.  
 Et hæc auctoritatis provocatio non tam in arte Medicâ  
 valet, verum & in scientiâ & cognitione, ut passim licen-  
 tia speculandi & theorias formandi, quasi dono data pro-  
 fessio existat, modo in experientiâ & arte Medicâ con-

venire liceat, & deceat; huius rei autoritatem allegare superfluum est, quām ipsa comparatio Hypothesium Medicarum, & nonnunquam notabilis elenchus per præcipitantiam aut festinatam sinceritatem insertus, obsignare poterit. Unde ad ipsam specialiorem explicacionem, indifferentis actūs in Medicinâ, & officii circa indifferentia progredimur.

## §. IV.

Cum *experientia* sine ratione sit quasi devastatum domicilium, complementum ac fundus audaciæ & temeritatis, ut Pandoræ pyxis, ex quā, velut ex aliquā lacunā, multi errores & inevitabilia nocumenta erumpunt & profluunt; *Ratio* verò sine experientiâ speculum phantasiarum & gratuitarum opinionum existat, ita utrumque iustè & dextrè, solidè & sincerè connectere omnino modo convenit: illa præit, hæc sequitur, illa docet *quid*, *quando*, *ubi* fiat: hæc, *quomodo*, *undè*, *cur* fiat: illa *effectus*, hæc vero causas eorundem explicat. Conveniens itaque videtur circa experientiæ declarationem, initium formare & rationis potestatem subiungere; cum verò generaliora quædam ante specialiorem tractationem de rationis indifferentismo proferre necessitas postulet, hanc præmittemus, ut in experientia constet, an talia adiaphora theoretica, praxi & experientiæ adæquate & iustè congruant. Maximum verò rationis conamen & sollicitudo est, ut Medicinam à conjecturis vindicet, liberet & repurget, ne ille dissensus Theoriæ & praxeos Medicæ in vulgi notitiam usque devolvatur, adeoque Medicina infirma, incerta, audax, experimentalis inter rudiores audiat, & hinc inutilis, inconsulta & nociva prædicetur; non desunt hujus offendiculi testimonia, quando sophistæ

sophistæ olim Medico nil turpius denotari posse, afferuerunt. Neque tantum Medicinæ famam conservare interest, sed etiam ejusdem dignitatem & utilitatem, quæ minimè per conjecturas, sed solidas rationes, & exquisitam, veram scientiam comparatur; unde enim præstat ut medicus tam in scientiâ, quam peritiâ rerum suarum certus, firmus & constans sit: Neque tam abstrusa & obscura res est Medicina, ut, quoniam secundum rudem explicationem corporis machinam intueri & introspicere nequeat, inde non nisi conjecturis progredi debeat, adeoque conjecturali Theoriæ, conjecturalem praxin subordinet, nudis conjecturis curet, & per accidens quandoque bonum effectum eliciat, ut mirum esse minimè omnium debeat, tot, tantasque fallacias in medicinâ frequenter occurrere, siquidem ipse Hippocrates cordatè profitetur: *quod medici fallantur, cum morbi causam*  
*gν ατγεκέως non exacte, non exquisitè, non fideliter inve-*  
*stigant, sed dubii, ambigui, incerti, & titubantes sunt.*  
 Tam intricata inquam medicina non est, ut licet clarioribus oculis motus in corpore, operationes, & partium actuationes perspicere non valeat, eo ipso omnibus subsidiis rationem solidè applicandi privata & destituta sit; modo in historiâ medicâ, effectibus & productis, certa sit & firma. Certè benignissimus Creator minime occultavit, *motus, successus & ordines ad vitam & sanitatem* maximè utiles & conducibiles, neque natura tam secretam se gerit, ut ipsos motus & effectus eò necessarios quasi *incognitò* exserat, sed quos simplicissimus homo discit, attendit, & explicat, er müsse wissen was seiner Natur nützlich oder schädlich wäre / seine Natur könne dieses oder jenes nicht vertragen/inclinire hier oder dargiu / helff sich hier oder

oder datur & sic porro , ut talis scientia ex effectibus comparetur, quos ita dicta natura non occultat, sed libere & aperte sistit: Potest insimul præcipue medicus ad tamē integratatem necessarios apparatus *ἀρχέως* attendere, *instrumenta* per quæ tales motus ad effectus ordinari & dirigi debent, cognoscere, methodos in salutari bus & noxiis effectibus discere & comprehēdere, successus debitè respicere & considerare , ut itaque secundum hosce respectus unicē ad medicinam necessarios nihil obscurum, nihil intricatum , nihil abstrusum esse queat, modo omnia liberè, tranquillè , proportionatè & simpliciter, non vero turbatè & perverse progrediantur, omnium maxime vero si finem & mediorum applicatio nes ad finem, prudenter, accurate , non præjudiciose neque præcipitanter & confusè medicus considerat; reliquæ enim contemplationes & rationes quomodo v.g. cor, ventriculus, aut musculi moveantur , adeo directè ad medicinam nihil contribuunt, nisi ad τὸ ἐν εἴναι eadem requirantur, quas tamen curiosas investigationes neque contemnimus, neque reiicimus , modo sine labe sint, & medicinam confundere non adjuvent. Hisce itaque principalissimè cognitis, quid fiat, & quid salutariter fieri beat, ratio supervenit, pro inquisitione, cur fiat primò, & deinde quibus mediis, & denique etiam quomodo fiat.

## §. V.

Tam provida vero rationis exercitatio & administratio esse debet in Medicinâ, ne ad illa quæ necessaria & utilia haud sunt, prolabatur , & ex opinionibus scientias mentiatur, sed rebus solidis inhæreat, easque condigne explicit: principalissimum vero est, ut ratio adhibetur in illis rebus quæ re ipsâ seu actu fiunt, non verò quæ forte aut

aut facile, aut probabilit̄ fieri possunt: unde circa effectum rationalem explicationem scire expedīt, primo cur fiant, cur ita & non aliter contingent, cur ita fieri debeant aut soleant, seu in quem usum & finem fiant, an ita fieri expediāt, an aliter noceat, & si aliter fiant, an in rectum ordinem, viam & Methodum redigi debeant, ita unius finis contemplatio, cognitio & scientia, ad alterum præcipuum finem progreditur, vel æquales, iustos & salutares motus & effectus conservando, vel eosdem ab aliis inconvenientiis liberando, & defendendo, vel in iustum ordinem redigendo & restituendo. Et hæc est Hippocratis dogmatica & rationalis Medicina, qui singulos motus & effectus summâ attentione & providâ ratione advertit, comparavit, applicavit, & secundum hanc rationem consilia & auxilia subordinavit: huic etiam scientiæ principalissimè medicus invigilare debet, si rationabiliter progredi intendit. Accedit & altera ratio, unde motus, ordines, mensuræ, methodi & progressus dependeant, ut distinguere sciant inter illud quod absolute morbidum & noxiū, & quid in morbo salutare & conveniens sit, adeoque per rationem edocti & cum ratione certie evadant, cui subvenire conveniat, & an auxilia medica ad eandem causam commode pervenire & transferri queant. Ad infimam classem pertinet, ratio quomodo motus tales fiant, & quidem specifica, determinatio motū in singulis partib⁹, cui modo ut in therapiâ subvenire si non plane impossibile, tamen difficile est, respectu corporis per se considerati, ita medico fidam & constantem aliquam utilitatem haut facile pollicetur, præcipue si motus eiusdem proportionem, ordinem, tenorem, gradum & constantiam respiciamus,

sed hæc consideratio ad amplificationem Theoriæ Medicæ pertinet. Et hæc sunt illæ generaliores viæ, in quibus ratio solida versari, experientiæ se iungere, & veram scientiam formare debet; imò in quibus ex maximis conjecturis emergere, & ad certitudinem medicam pervenire commodè & fideliter vacat.

## §. VI.

Nostrum propositum non fert medicinam conjecturalem lationibus deductionibus depingere, & ex eadem emergendi specialiorem methodum præscribere, cum ad scopum nostrum ex dictis progredi ordo postulet. An in tali medicinæ conditione indifferentismus detur circa *rationem* & *Theoriam* medicam merito quæritur, & à nobis breviter per affirmationem respondetur: præcipue verò sub illa explicitâ expressione, quod in theoriis medicis in numeri indifferentismi deprehendantur, & in modestâ explicatione centum & mille adiaphora inveniri queant; omnia & singula vero proferre centum & mille paginas postulabit; ne verò hæc à nobis tantum dicantur, licebit hujus asserti demonstrationem aliquam subiungere. Diffusa per quam est theoria medica, tundè qui generalia de medicinâ tractant, non ad unicum negotium sese adstringunt, sed plura simul pertractanda suscipiunt: hinc diffundimur in plures theorias, speculationes, opiniones & credulitates medicas, in quibus adiaphora vigent. Theoria vera, justa, solida, firma, constans, excludit adiaphora, sed positivè explicat quid bonum aut malum, dextrum aut sinistrum sit, quando, tundè, cur, & quomodo tale quid existat: vera Theoria non titubat, nequè prævaricatur, multo minus tam inconstans est,

ut hodie quidquam noxiū, cras verò utile prædicet in eādem causā, alibi ad indifferentismum collocet. Dantur quidem in Theoriā medicā varia indifferentia, quæ ita absolute medicinam & theoriam medicam non confundunt, sed quam primum applicatio & progressio ad illud quod in individuis fieri solet, instituitur, non potest aliter, quin noxius periculosus inde indifferentismus exoriatur: sicuti v. g. motus aeris, caloris & frigoris in se neque bonus neque malus est, & ad adiaphora pertinet, respectivē verò aut bonus aut malus fieri potest, quando ad individua applicatur, non universalī progressionē, sed speciali æstimatione ejusdem secundum sensibilitatem: de hisce theoria vera afferit, quod non indifferenter bona aut noxia sint, sub condicione aliquā demonstrabili, & non fictitiā: huc etiam pertinet Pathologia *salsā*, quæ minimè indifferenter applicanda, sine differentiā subjectorum individualium: undē alienum est dicere & absolute inferre, quod effectus spasticæ & convulsivæ stricturæ & contractionis, à sale stimulante, vellicante, pungente, irritante indifferenter dependeat, cum in uno individuo & numerice etiam pluribus aliis salinā diætā maximè abutentibus, nihil quidquam spasticæ stricturæ per totum vitæ suæ curriculum sese exferat, & in aliis parcissimè salibus frumentibus, arthritis, Ischiaticum, nephriticum & hypochondriacum malum insolecat.

## §. VII.

Communis est philosophorum regula, *quod unius rei plures cause esse queant*, ut necessarium non sit ad illum indifferentismum prolabi, & unam causam omnibus rebus assignare: generalis hic est indifferentismus,

in theoriis medicis passim obvius, cuius rei testimonia  
 haud rariora prostant: præbuerunt hæc adiaphora haud  
 levem occasionem de dexteritate & soliditate unius &  
 alterius Theoriæ medicæ dubitandi: quandoquæ præceps  
 est argumentandi & concludendi libido, ut ex uno for-  
 tè aut altero exemplo, universalis explicatio & conclu-  
 sio formata fuerit: & huc facile & libere concurrit in-  
 consulta & inconsiderata Physices applicatio & trans-  
 latio in Medicinam, quando fortè aer in hoc vel illo ali-  
 quam alterationē post se traxit, si de hinc in singulis pro-  
 mutatione tali inducendâ idem allegatur. Habent præ-  
 terea theoriæ quædam hanc fatalitatem, ut plures gene-  
 raliores indifferentismos includant, præcipue quando  
 una generalior causa singulis effectibus explicandis non  
 satisfacit, ut alias simul, sed nonnunquam æquè genera-  
 lissimas causas in subsidium ducere, necessitas postulet,  
 quæ quidem inter se invicem explicationem & confir-  
 mationem aliquam suppeditare & constituere deberent,  
 sed ut plurimum in indifferentismo subsistunt. Haud  
 enim solers & accurat⁹ scientiarū cultor, in nuda genera-  
 li explicatione acquiescit, neq; illâ expressione contentus  
 esse solet, quando ad nudas possibilidades provocari solet,  
 sed urget cæteroquin specialiorem, imo specialissimam  
 deductionem & applicationem, maximè verò nexum  
 rationis cum effectibus & ipsâ experientiâ, unde contin-  
 git, ex generaliorum causarum applicatione ad specialio-  
 res & individuales effectus, hinc inde confusiones & per-  
 turbationes enasci, cuius offendiculi mater est indifferen-  
 tismus. Omnes hæ suppositæ possibilitates pertinent ad in-  
 differentismum: quam facile enim una materia uni noxia,  
 tam facile alteri innoxia deprehendi potest; ut in verâ  
 theo-

theoriâ, ubi positivè quid decerni debet , non sufficiat, talium rerum rationes obtrudere, sub generaliore applicatione, quæ secundum individua multas exceptiones, dubitationes, frustrations & ambiguitates includunt: undè rectè Hippocrates in libro de priscâ Medicinâ monet: *eas cujusque rei causas existimare oportet, que quidem cum adjunct, hoc modo provenire necesse est, & quibus in aliud temperamentum commutatis, cessare.* & paulò inferius; *quod si universæ hominum naturæ infestus esset, omnibus noceret. Quod certè (talem videlicet indifferentismum) minime facere convenit.* - - - *Et qui bac singula, quemadmodum se ad hominem habent, ignorat, is neque quæ ab iis proveniunt, cognoscet, neque iis rectè uti poterit.*

## §. VIII.

Adiaphora Theoretica tam malæ itaque fidei esse declarantur, quod medicum usum insigniter frustrentur & destituant, undè vera eorundem cognitio esse debet in Theoria, ut hæc ab iisdem quavis prudentiâ libetur. Pertinet verò desuper ad generalem indifferentismum generalis consideratio motuum, in tæconomiâ animali obviorum, quando sine solidâ discretione ad singula individua transferuntur: ejusmodi generalis consideratio motuum est illa absoluta physica motuum progressio, quæ sine iusto ordine, directione & applicatione ad fines & effectus convenientes & necessarios, decurrit; uno nomine adiaphorum est *macrocosmum* ad *microcosmum* simpliciter comparare: cum omnis motus simpliciter physicus ad syncrisin & diacrisin partium fortuitam, & accidentalem tendat, animales vero motus sub specificâ determinatione, compositione, structurâ & electione administrentur. Illi nude communicati-

va transeunte progresione decurrunt de materia in  
materiam, *sine ordine, proportionato gradu, sine fine & sco-  
po*; hi vero sub certâ, conveniente, proportionatâ (quæ sta-  
tica appellari solet) exquisitâ, adæquatâ, tempestivâ, suf-  
ficiente, ordinatâ applicatione, ad partium habilitatem  
& finium per debitos effectus consecutionem, determi-  
nantur; in quibus quippe circumstantiis ingens diffe-  
rentia occurrit: quod si itaque hi motus ita simpliciter  
comparantur, magna confusio & inæqualitas prodit.  
Hoc ipsum ex primis corporis animalis rudimentis iam  
innotescit, quæ minimè ut frustum physicum & acer-  
vus materiarum fortuito talem figuram assumens, ex-  
plicanda sunt, sed in quibus jam respectus æqualitatis  
inclarescit, quid dextrum, quidve sinistrum, quid pri-  
mum, quid secundum & subalternum, quid anterius,  
quid verò posterius, quid superius, quid verò inferius,  
quid exterius, quid interius, quid curvum, quid rectum,  
quid crassum, quid tenue, quot, quomodo, quando, cur,  
ubi &c. tale quid esse debeat, & esse conveniat: hosce in-  
quam respectus, quis commode ad indifferentium  
motuum referre non poterit? quando simpliciter *physicis  
motibus* explicantur, illustrantur, & obtruduntur: longè  
enim alia in œconomia animali est motuum progressio,  
quæ certum semper & specificum finem, concoctionis,  
digestionis, præparationis, sanguificationis ita dictæ, nu-  
tritionis, depurationis, secretionis & excretionis inclu-  
dit, & hic finis in vitâ & sanitate est perpetuus, ad *essenti-  
alia* vitæ directè necessarius, non verò fortuitus aut acci-  
dentalis. In eo quidem illi motus convenient, quod in  
suâ essentiâ non sint distincti, sed quod differant secun-  
dum accidentia, secundum partes & materias, ordines,

suc-

successus, gradus, prosecutiones, directiones, ut hoc quidem respectu motus accidens corporum appellari queat, ipsa vero actio, id est hujus motus applicatio ad effectus & fines, non accidentalis & fortuita vocari debeat.

### §. IX.

In theoriâ Medicâ occurrit adhuc aliis generalis indifferentismus quoad materiæ considerationem, & primo quidem in universalis habitu corporis, deinde Particulari constitutione partium: quoad primum, grande illud est adiaphorum, corpus humanum i.e. corpus praeter animam rationalem, cum vita praeditum, & cum quo sensatio administratur, (displacet enim illa explicatio, quâ corpus, vivum & sentiens per se praedicatur) diversis aliis corporibus assimilare, & ita indifferenter secundum talem allegoriam corporis qualitates explicare; quando videlicet corpus vitale, planè diversis corporib⁹, quoad habitum & quoad accidentia discrepantibus comparatur, & ex tali assimilatione diversa praedicata & theoremata formantur: claudicant sane non raro talia similia & comparationes, quæ toto cælo quandoque manifestè distant: certè egregiè & vere Baglivius de eiusmodi analogiis asserit: argumentatio à simili, sicut facilior omnium est, ita si debite non instituatur, ceteris omnibus fallaciores deducit conclusiones, nec aliunde medicorum in inquirendo impatientia tam aptè deducitur, quam à falsis similitudinibus, quibus illi tum in curandis morbis, tum judicando de iisdem tantopere indulgent; similitudo ut perfecitè concludat, versari debet inter res sub eodem genere positas, ut inter plantas & plantas, mineralia & mineralia, viventia & viventia, & sic deinceps, ut ita possint singula unius rei stiributa verificari de aliâ cui assimilatur, aliter

con-

*conclusio erit imperfecta, nec per sufficientem partium enumerationem; Elegans hic est locus, unde eundem hic allegare, dignum iudicavi. Quam indifferens enim est mixtionis animalis comparatio, cum mixtione, ferri, stanni, cupri, vitri, aut structuræ & texturæ corporis animalis, cum frusto metalli, terræ, glebæ? ad Rhetorica magis & metaphorica talia pertinent, neque quidquam illustrant, multo minus demonstrant; unde haud infreuenter subsumptiones & argumentationes in ejusmodi assimilationibus claudicant, quæ ita indifferenter habitum corporis animalis non attingunt (de essentiâ enim materiæ in physicâ nihil intelligimus, cum sensum humanum & captum fallat) multo minus ita indifferenter alterant, & commutant: sicut sese hujus assimilationis infirmitas tam in simplici ratione, quæ contraria componere, & comparare non erubescit, ut æqualitatem analogiam admittat, deinde ipsâ experientiâ, quæ manifestis indiciis hujus analogismi fragilitatem obsignat, ut ex ejusmodi indifferentismo colligi non debeat, sicut salinum aliquod principium sese ad ferrum, cuprum, aut aliud metallum habet, ita se ad corporis humani aut animalis mixtionem habere solet: id quod experientiæ insigniter contrariatur. Profluunt talia sophismata crudiora ex illo indifferentismo generalioris *assimilationis*.*

### §. X.

Offert sese altera illa particularis partium analogia, quæ huic indifferentismo insigniter favet: instruitur hæc assimilatio quandoque secundum figuræ pororum, in quâ quidem in recentioribus temporibus hinc inde aliqua moderatio & modestia adhibetur: invenit talis theoria insignem auctoritatem in *Hippocrate*, sed tam

tam accuratam & solidam, ut ad alias curiosas speculatio-  
nes salvo sensu hippocratico trahi non queat: Extat lo-  
cus notabilis *in lib. de priscâ Medicina*, in quo figurarum  
considerationem secundum *capacitatem, cavitatem & la-*  
*titudinem*, deinde quod *arctationem angustiam & contractio-*  
*nem* respectu partium solidarum & fluidarum, optimè  
explicat: nullam hic certam & infallibilem pororum fi-  
guram, neque triangularem, neque quadrangularem  
determinat & indicat, sed talis ulterior figurarum deno-  
minatio ad adiaphora pertinet: tam inconstans enim in  
hoc negotio illa theoria est, ut certè partium figuras  
explicare non valeat, cum vero cum figuris negotium  
perfici debeat, tam indifferenter ad lubitum concepti-  
bilem aliquam figuram designet, hinc moderatores theo-  
retici, obscurissimam & determinatu difficillimam  
eiusmodi analogiam prædicant, qua æquè minus  
constanter & fideliter inniti liceat, ac aliis indifferen-  
tismis: adiaphorum est illud generale theorema, quod  
facilioris quidem speculationis est, sed obscurioris &  
difficilioris demonstrationis & applicationis, quando ex  
indifferenti fingendi lubidine, tales pororum figuræ  
declamantur, & proclaimantur: indifferentismus ni-  
hilominus ibi occurrit, licet differentiæ pororum fin-  
gantur, cum si non exactè hæc theoria demonstrari que-  
at, tamen quid pro quo circa specificam hanc configura-  
tionem proponatur.

### §. XI.

Non placet ad specialiora progredi, sufficient hæc  
schemata produxisse: illud adhuc addendum est circa  
rationis negotium in Medicinâ: cum nexus rerum,  
genuinum & optimum indicium & documentum

D

veri-

veritatis & certitudinis existat , ita ejusdem defectus mancam , incertam , imperfetam & fictitiam reddit theoriam , rationes enim extra cohæsionem cum effectibus sunt Theoriæ scandalum , & rationes luculentam connexionem in experientiâ Medicâ non obsignantes , sunt Medicæ artis impedimentum & grave offendiculum : quilibet interim certitudinem medicam affectat & anhelat , adeoque quilibet hunc nexum accurate observare & prudenter formare debet , si non magis conjecturis & frustraneis opinionibus superbire gestiat : est verò in Medicinâ tam rara avis est hæc connexio , ut passim theoriam aliam , alibi aliam praxin conspicere , non arduum , laboriosum , aut difficile sit ; ne verò crudioris Empiriæ argui possit Medicina , hinc inde corrasæ generaliores rationes nonunquam theoriam aliquam constituunt , ut multa quidem dicantur , sed ex longè alieno capite confirmantur , & praxis longe alter instruatur . Quoniam verò rationalis esse debet medicina , ita formantur quandoque rationes , vel nimis curiosæ , adeoque crassissimos effectus proxime non ferientes , explicantes & connectentes , vel alienæ , quæ neque iisdem effectibus positive conveniunt , neque directe quidem contrariantur , vel penitus contrariæ , quæ ab ipsâ veritate experientiæ apparenter discrepant : singula verò talia profluunt ex illâ indifferenti philosophandi , fingendi , speculandi , imaginandi libidine ; ne penitus medicina rationibus cassa & exuta sit : profecto non desunt cordati medici quidam , qui simpliciter contestantur , quod ejusmodi theoria non in commodum artis , sed in ornamentum Philologiæ vergat , & quod ex ejusmodi rationibns minime experientia juste instrui  
 & veri-

& verificari, neque praxis cum eiusmodi rationibus confirmari queat, hinc contingit, ut vulgo tantum satisfiat, quædam de salibus scorbuticis, de catarrhis falsis, de sale intra cutem & carnem morsicante, de obstructionibus tenerrimorum vasculorum, de acritonia sangvinis, aliorumque humorum, & de stimulatione, arrosione, & irritatione, de debilitate nervorum, de malignitate materiarum, & si odiosum & otiosum non esset, de multis aliis præfari & occinere.

### §. XII.

Et hæc non gratis tantum allegavimus, sed certo scimus & audivimus, sub illâ sedulâ commentatione & commendatione, ne praxis confundatur, cum ejusmodi opinionibus, sed sedulo ex experimentis providis informetur & stabiliatur. Interim ejusmodi opinio-nibus & rationibus haud ita absolute veritatem suam de negamus, modo non indifferentismus in iisdem & cum iisdem committatur, alias multis erroribus proximam viam præmonstrant: non enim convenit tantum ali-quid in aliquâ materiâ sentire, sed certitudinem & soli-ditatem veram inferre. Tam spatiolum verò est hu-ius indifferentismi negotium, ut alibi in theoriâ una al-teraque non nisi salium efficaciam, quod & quomodo corpus animale lædere queat, explicatam & applica-tam deprehendamus, sub illo subalterno adhuc indif-ferentismo, ut in Cephalalgiâ, Hemicrania, arthriti-de, hæmoptysi, phthisi, hypochondriaco, hysterico malo, nephritide, podagra, colicâ hæmorrhoidalici,cer-ta, specifica, sed nescias, quæ certa & specifica salia ac-cusentur, ita indifferenter verò, ut modo specificum certum sit, & pungat, morsicet, mordeat, rodat, fre-

mat, vellicet: qualis indifferentismus cum aliis opinioribus ac rationibus medicis passim committitur, quando sine respectu temperamenti, seu habitus, ætatis, regionis, morum, consuetudinis, & dispositionis hæreditariæ, eadem indifferenter applicantur, quas tamen distinguere, & cum iudicio applicare docuerunt veteres prudentes Medici, maximè verò Hippocrates, quem recentiores cum modestiâ & prudentiâ sequi accurate & solerter student & allaborant.

## §. XIII.

Meretur providam interpretationem illud *Hippocratis* pragmaticum quod in lib. de vet. Med. allegat, quando de salibus sermonem habet, quippe qui locus tanquam summum fundamentum Pathologiæ Salsæ hinc inde produci solet: dicit *Hippocrates*: *in homine inest & amarum & salsum, & dulce, & acidum, & acerbum, & insipidum, aliaque sexcenta: (sed non æquæ talia Salia sexcenta aut specifica; adsunt etiam insipida) quæ pro copiâ & viribus (NB. aurea hæc sunt verba πλευτοίας, δύναμις έχοντα) varias habent qualitates (sed non semper morbitas) & hæc quidem mixtione & mutuâ contemperatione γένεσιν neque conspicua sunt; neque quemquam molestia afficiunt; at ubi horum quidquam secretum fuerit, & per se extiterit, (non ἡ aut, sed οὐδὲ, tanquam sub copulâ, ubi secretum fuerit, & simul aut una per se extiterit) tunc & conspicuum fit, & hominem molestia afficit. Primo ex hoc dicto evinci non potest, quasi *Hippocrates* dixerit, quod in singulis aut plurimis affectibus talia salia pro copiâ & viribus adsint, deinde quod non ubique, neque familiarius secreta & per se prostantia adsint, ut in omnibus subjectis & individuis conspicua sint, & hominem*

nem molestiâ afficiant; tertio injungit, quod si horum quidquam secretum, & per se existens, tunc conspicuum sit, tunc etiam simul hominem molestiâ afficiat, non prius aut maturius, quam ubi fuerit secretum, neque hoc solum, sed ubi etiam, &c., ~~xæj~~ per se extiterit, tunc verò proximo inevitabili conseq̄tario conspicuum sit, & denique quod ultimum est, & ad nostrum negotium facit, hominem molestiâ afficit: Hæc si applicentur ad illum indifferentissimum Pathologiæ Salsæ, ex auctoritate Hippocratis seriò ab auctoribus & patronis hujus Theoriæ declamatum, judiciose facile sensum divi senis commendabunt, & an justè & convenienter pro ejusmodi adiaphoris allegentur, declarabunt. Illud adhuc addimus, quod latiori deductione circa hanc specialem materiam, quam exempli loco allegavimus, opus haud sit, cum generaliori nostræ explicationi satisfaciat, & lumen addat: reliqua verò in theoriis circa generaliores ejusmodi causas & adiaphora deducere & applicare, neque tempus, neque propositum fert; possent verò, si exactior occasio talia latius explicandi se se offerret, & permetteret, centum, imò mille ejusmodi indifferentismi designari, quò supra iam tum provocavimus, an verò ejusmodi opiniones, ex quibus theoriæ nonnunquam formari solent, non ad indifferentia pertineant, quia ita indifferenter ex indifferenti auctoritate, ratione & applicatione formantur, vix dubium esse potest, quæ adiaphora in experientiâ non alium, nisi indifferentem effectum, minimè certum, dextrum & solidum finem obtinere possunt, & infallibiliter etiam solent.

## XIV.

Pertinet præterea certo respectu illud adhuc ad adia-

phora medica circa theoriam & rationem , quando o-  
mnes generaliores causæ ubique & omnibus effectibus  
& affectibus applicantur : non tanta esse debet medici-  
næ servitus ut sese singulis rationibus adstringat, adeoque  
indifferenter cum iisdem progrediatur , sed ut rationi-  
bus convenienter uti sciat, applicando scilicet justas ratio-  
nes suis causis, & semovendo illas rationes, quæ vel effe-  
ctui, planè contrariantur, vel nudis tantum possibilitati-  
bus favent,cum quibus positivè nihil demonstrari potest,  
sed quæ tantum frivolas præsumptiones , & opiniones  
præbent, quod galli *soupsonner* appellare solent, quando  
citra veram confirmationem , causa aliqua noxia aut  
mala præsumitur & reputatur. Insignis verò hic est in-  
differentismus & deterrimæ confusionis mater. Præ-  
stat enim dicere , quæ vera sunt, non æque quæ multa  
sunt, neque tanto apparatu causarum & rationum Theo-  
riam onerare, sed illa dicere, quæ necessaria & utilia sunt,  
omnium maximè verò docet *philosophia facere, non dice-  
re* secundum *Senecæ* effatum, id est: non dicere cum incon-  
ditâ Philologiâ & rationum confusione , de hoc, illo, alio  
& sexcentis aliis in unâ materiâ differere : elegans locus  
ille est *Epiceteti: ecce faber qui peritus artis est non obambulat  
clamitans, audite me differentem de re fabrili: sed tacitus  
domum & tabernam conductit, instruit, & operibus se ostendit peritum.* Tale tu fac &c. ejusmodi verò peritiam mi-  
nimè tam confusa coacervatio rationum efficit aut su-  
stentat, confirmat & illustrat, sed eandem potius destruit,  
enervat, confundit & turbat; non enim convenit ut sem-  
per, ubique aut unice de naturâ, de aëre, æthere, mate-  
riâ, nisum tendentiâ, necessitate materiæ in Medicinâ  
philosophemur, sufficit si hæc dicamus, quæ maximè ve-

ra sunt pro substratâ explicatione, reliqua enim philosophia noxius est indifferentismus & artem medicam graviter frustratur. Neque ita interpretari volumus, quasi rationem omnem & singulam rejiciamus, & nudam experientiam commendamus, minime, sed laudamus illam harmoniam, quando facta cum dictis congruunt; hæc verò convenientia neque sperari, neque expectari debet ex ejusmodi indifferentismo, & causarum indifferenti recitatione, generaliore applicatione & allegatione, cum illæ rationes præ omnibus reliquis valeant, quæ phœnomena explicant & recto argumentandi & concludendi ordine demonstrant, quid factum, quod factum, undè factum & quomodo factum sit.

## §. XV.

Præ omnibus adiaphoris pessima est illa species, quando in theoriâ rationes tam venales & liberæ expounduntur, ut non æque ad utilem illum nexum rationis cum experienciâ respiciatur, sed ut tantum aliqua theoria formetur, ne plane destituta rationibus medicina offendatur: hic inquam est generalis indifferentismus & simul sentina errorum & sphalmatum artem medicam passim ingredientium; tam prava vero est hæc sentiendi licentia, ut posthabitis artis fundamentis passim fungus pro cerebro, opiniones pro solidis rationibus, phasmata pro scientiâ offerantur, obtrudantur, & defendantur: & indifferentis est animus quandoque speculationibus luxurians, ut modo aliquid dixisse, & de re unâ aut alterâ ornare & curiosè differuisse, dignum & sufficiens esse æstimet: si unquam ejusmodi indifferentismi malæ fidei symbolum gerunt, sunt certè in hâc libertate secundum beneplacitum non de rebus quæ vere fiunt,

sed

sed ex cerebro de illis quæ fieri queunt, & quando ita fierent, admirationem mereantur, theorias fingendi, & formandi; aut si justa rationum cohæsio non eminet, illam excusationem proferendi, posse sufficere, si modo aliquid in theoriâ proferatur, multa adhuc in rerum naturâ esse abstrusa & obscura, non posse singula in naturalibus progressionibus designari, quasi hinc contenti esse debeamus, de illis quæ vel frigide vel secundum proprium captum & opinionem, *wie man sichs am leichtesten einbilben kan* dicta & proposita sunt, sed non nunquam bonus dormitat Homerus qui talia ita obscura nuncupata simpliciter ad oculum non tam demonstrare, sed simul nexum & convenientiam cum effectibus & factis non tam formare, quam simpliciter etiam designare poterit. Malè interim consulitur medicinæ, cum ejusmodi adiaphoris, quando non res dicitur & explicatur, sed quid de re dici queat, divulgatur : quando non rationes factorum, sed rationes rationis fingentis, imaginantis & speculantis proferuntur; & ne deficiat Theoria, magnus apparatus & turma verborum & opinionum effunditur.

### §. XVI.

Ne ultra filum propositi nostri excurramus, cum aliqua hactenus de adiaphoris Medicis maximè generalloribus Theoriam medicam spectantibus dixerimus supereft ut brevibus etiam *Officium Medici circa Indifferentium Medicum exhibeamus*. Ex traditis hinc inde indifferentismi speciminibus facile colligere poterit prudens, quid de iisdem sperandum & exspectandum sit, & quomodo medicus rationalis, rationabiliter circa ejusmodi fata theoriæ medicæ versari debeat, occurrunt multa

multæ auctoritates, quæ passim pro horum adiaphororum patrocinio allegantur, & tantæ, quibus repugnare forte non licet (sed quid non licebit, veritas non auctoritatibus, sed rationibus vincitur) unde neque veterum neque recentiorum medicina ejusmodi in differentiis mis caret; hæ inquam auctoritates sunt primum offendiculum in medicinâ, quibus quavis prudentiâ uti convenit: maximum vero est commodum & salutare officium in Medicinâ, non omnibus indifferenter fidem addere, neque nudis auctoritatibus superbire; turpè enim est quem authoritates vincunt, & turpius adhuc est authoritate aliquos vincere velle: Rationes valent & antecellunt authoritates, undè ad veritatem earundem primo respicere convenit: deinde evitandæ sunt quævis curiositates inutiles & minus necessariæ, hæ enim ut plurimum turbant & confundunt reliquam sinceram explanationem: evitandæ etiam sunt illæ Philologiæ, loquacitates & confusiones, quid quod diffusiones in rationibus: nequè confert, singula & omnia in unam rem trahere, adeoque magis miscellaneam theoriam, quam veram & applicabilem producere. Omnium maximè ad iustam rerum conspirationem & convenientiam respicere, eandemque elicere, & prosequi interest; hæc si in aliquâ theoriâ deest, omnem laborem reliquum vastum vel curiosum illud fugitivum ornamentum aut rectius fixum detrimentum fide dignum haud reddit, sed multis justis illusionibus exponit. Unde præterea à multitudine rationum abstinendum, sed ad effectus & quid familiariter fieri solet ac contingit, ipso actu respiciendum, non verò, an rationes cum uno aut altero effectu congruant, sed an simplicem cohæsionem aper-

tē exhibeant, non latē, non curiosē, non superstitionē, non præjudiciale hinc indē petitam & corrasam: abstinen-  
dum etiam est ab illā amphiboliā & retorsione theori-  
arum, ne sub inconditā explicatione eadem dicamus,  
quæ antiquas fabulas sapiunt, & ne sub multā denique  
confusione & implicatione, nudis negationibus inhæ-  
reamus, aut frigidam illam explicationem & applicatio-  
nem offeramus, non potest concipi, si tamen possit  
concipi & via ad verum non tam conceptum sed usum  
& applicationem simul demonstretur.

## §. XVII.

Præterea magnum adminiculum ad veritatem est,  
ut iudicio animo attendatur, quid fictitium occurrat  
in Medicinâ, quid vero reale existat, cum certè multa  
in adiaphororum serie fictitia & fabulosa occurrant,  
quippe quæ ex illâ frivolâ fingendi libidine ortum  
traxerunt: undè prudens theoreticus distinguere debet  
inter illa quæ ipsi reiesentialia sunt, & quæ sunt adventi-  
tia aut spuria & adscititia: hinc non temere, nequè fa-  
cile credendum, qui enim facile credit, facile decipitur:  
præstat ipsam experientiam perpetuo colligere, nequè  
tantum in rarissimis effectibus connexionem inquire-  
re, sed in familiarissimis & ubique conspicuis, ipsi indo-  
liæ genuinis, non turbatis, non corruptis, morbi circum-  
stantiis, iustum convenientiam & applicationem intu-  
eri & instituere: habet enim Indifferentismus hoc  
peculiare phænomenon in altero etiam extremo,  
quod tantum alias & non omnes suas rationes,  
aliquibus & non singulis unius morbi & genii & typi  
effectibus & circumstantiis applicet, sed ibi acri-  
moniam, alibi materiæ necessitatem, nunc structuræ  
convenientiam, rursus naturæ energiam, denuo parti-

cularum malam proportionem, & ætheris influxum, in unâ eademque re accuset, adeoque meras confusiones, & multiplicationes entium præter necessitatem, proferat & inferat: hinc illud prudentis Medici officium circa ejusmodi rationes esse debet, ut dijudicet, unde, quibus rationibus, quâ methodo, & quâ ambiguitate ars medica confundatur; hæc enim inconstantia est indifferenterismi verum symbolum, & turpe est de Medicinâ dicere, quod inconstans sit, & ita frequenter titubet aut tergiversetur: hinc respiciat quisque certitudinem & veritatem, reliqua quæ extra talem scopum continentur, ad quisquilias pertinent & nugas. Interest etiam ut convenienter dignoscantur hypotheses in Medicinâ, an ad opiniones & phantasias hominum pertineant, an sint privatiores hypotheses, & ante experientiæ interpretationem & debitam confirmationem excogitatæ: an verò econtra non possint aliter, quin cum experientiâ perpetuò stent, progrediantur, & eveniant: unde etiam prudens Medicus abstinebit & evitabit illum indifferenteristum, ut non contentus subsistat circa illud, quod forte commode de unâ aut alterâ redici queat, sed quid dicere conveniat, deceat, & dici debeat: caveat sibi quisque ab illa turpi opinione: quia in Medicina multis locis certitudine deficit, ergo expedit tantum aliquid sentire & credere, licet non ubique cohæreat, neque ubique conveniat: imò excrementum omnis rationabilitatis & rationabilis argumentationis esse debet, multas diversas theorias, in unum magma reducere, adeoque in veritate inquirendâ tam indifferentem se se gerere & præstare. Neque etiam convenit vel theorias singulas tam indifferenter contemnere, ex crassò illo præ iudicio, quia Medicina

dicina conjecturalis reputatur; vel unam aut aliam temere & pertinaciter non admittere, quia forte recentiores de hâc ratione non garriunt, aut speculari vel unquam, vel rarius s'everunt: & turpè est in theoriis rationes oculis & animo demonstrabiles, vel pertinaciter non admittere, vel temere negare, propter gratuitam novitatis accusationem, quasi novum quid sapiat; manet interim in hisce ausibus perpetuus ille indifferentismus, quod sine solidâ necessitate & ratione firmâ negationes instruantur, & sine iusta discretione & applicatione indifferenter exponantur.

## §. XVIII.

In theoriis tam veterum quam recentiorum providus sit & prudens Medicus theoreticus, ne in indifferentium præceps ruat, tam multa enim passim adiaphora occurrunt, ut in indifferenti theoriæ assumptione talia adiaphora una irrepant. Quod enim Hippocratis theoriam medicam attinet, attentum omnino, & ab omni superfluâ commendatione & interpretatione liberum animum postulat ejusdem labor & studium: haud enim præstat & interest tantum Hippocratem citare, sed recte & convenienter ejusdem sensum interpretari, & imitari: passim enim tot indifferentes explicationes hippocraticæ obtingunt, ex illâ per insig-nem abusum insolitâ provocatione ad authoritatem Hippocratis aliorumque veterum medicorum, ut quælibet theoria patrocinium suum in antiquitate medicâ inquirat, & ut sperat, & contendit, invenit, offert, obtrudit: unum verò ex omnibus verum esse debet, reliquo-rum multa ad adiaphora pertinent, unde omnium theoriarum tam exquisitè & accurate indifferenter haud ef-

se potest patronus & oraculum Hippocrates. Imò tam  
indifferens est hinc indē illa ætiologia Hippocratis, ut  
crimen esse nonnunquam reputetur, ab ejusdem  
theoriâ generaliore declinare: unde quidem ad genera-  
liores ejusdem & Philosophicas rationes jurare tam in-  
differenter non licet, sed præstat ejusdem theoriam  
Medicam probè attendere & reservare, ut certi inde  
fiamus in eo quid fiat, quid fieri debeat, cur fiat, & ita  
fieri intersit, quæ longè majorem & notabiliorem u-  
sum monstrabunt, quam reliquorum elementorum  
Hippocraticorum explicaciones. Recentiorum theori-  
is ita *indifferenter* se se concredere, inconsultum omni-  
no est & periculosum: mens hominis quidem semper  
nova appetit; sunt verò nonnunquam novitates tam  
mali censūs & usūs, ut præstitisset antiqua recte didi-  
cisse, intellexisse & applicasse: hinc non licebit, in cer-  
titudine & veritate inquirendâ, speciem, novitatem, cu-  
riositatem & jucunditatem alicujus theoriæ considerare,  
sed sub iusta discretione inquirere, an effectib⁹ experien-  
tiæ, & eventib⁹ rationes respondeant, cohæreant, & con-  
veniant, non una aut altera vice, sed tam perpetuo  
gressu, & vinculo, ut ubique applicationem suam proxi-  
mam, veram, distinctam & realem, non fictitiam & ima-  
ginariam, aut gratuitam theoria inveniat, habeat, & obfi-  
gnet. Et hæc præter illa quæ jam latius supra hinc in-  
dē produximus, officium Medici circa *adiaphora* theore-  
tica explicant & commendant.

### §. XIX.

Alterum est ut etiam adiaphora in experienciâ &  
praxi medicâ, quantum fieri poterit, breviter enode-  
mus: & primo omnium quidem de adiaphoris, quoad

historiam Medicam dicere conveniet. Dignum profectò est ut historia medica in medicinâ primum doceatur & discatur, ut verè innotescat, quid in medicinâ occurrat, cui rationem & medelam addere & applicare conveniat; quodsi enim in illâ circumstantiâ historicâ *quid fiat*, certitudo & veritas deficit, tunc & theoria & praxis medica miserrima omnium artium & disciplinarum existit, exinde enim cohortes inutilium indifferentismorum, centuriæ irritarum opinionum & chimærarum prognoscuntur; ut tædeat, imò pudeat, tantis phantasiis superbire: undè principalissimè considerandum est *quid fiat* in medicinâ circa vitam & sanitatem, & pro utriusque conservatione, præservatione & restitutione sanitatis; *quid fiat* secundum & præter naturam, & ordinem naturalē: Inde historia medica conficitur, quæ in multis locis grandia adiaphora includit & possidet, talia inquam adiaphora, quæ ad communem historicam notitiam non pertinent, aut indifferenter excogitata sunt, sive convenientiā simplicitati historicæ, sive non, modo aliqua historia formetur: undè mirum esse non debet tot corruptas historias pasim florere, & variis indifferentismis practicis patrocinari; quid novi, corrupti, inauditi morbi aliud sunt, nisi certo respectu & certo numero specimina indifferentismi in experientiâ Medica; *novi* morbi, quando anomalicis progressionibus decurrunt, quibus dehinc ex theoriâ variæ causæ, & ex historiâ variii effectus & phœnomena adscribuntur magis quam exspectantur & experiuntur, indè illæ querelæ, der Hr. D. hat so viel ausgefraget / und keines getroffen / imò illæ objurgationes: er muß besser ratzen lernen: quando scilicet multi effectus finguntur, qui tamen in histo-

historiā verā non congruunt ; talis est indifferentismus  
 circa novos morbos, quos communiter ita appellare as-  
 solet medicina, illa quæ ad veritatem historicam non re-  
 spicit , sed indifferenter hunc aut alium effectum incre-  
 pat, exspectat & qui si exspectationi non respondet, pleno  
 ore per crassum indifferentismum novus morbus nun-  
 cupatur & accusatur : *corrupti* morbi habent præ reli-  
 quis singulis ratione historiæ illud peculiare, ut indiffe-  
 renter explicentur, sive sit scorbutus, sive acrimonia san-  
 gvinis, sive obstructio, sive polypus cordis, seu inviscatio  
 nervorum, wenn es nur einen Nahmen beföndt / da-  
 bei man es nennen kan / perinde æstimatur ; Quod si  
 denique ratione circumstantiarum & apparatum plu-  
 res, sed in generaliore intentione, executione & fine con-  
 spirantes morbi conveniunt, qui ad unam historiam re-  
 ferri non possunt, neque alias ficticias circumstantias fa-  
 cile admittunt, & in communia summa genera morbo-  
 rum referri nequeunt, indifferenti animo *inauditi* quan-  
 doque appellari solent: ut habeat medicina excusationem,  
 cur historicā suā notitiā deficiat, circa præsentem affe-  
 ctum : hanc historiam morborum accurate explicat *Bag-*  
*livius*, dum dicit: *Historia morborum tota quanta est*, pendet  
 à *sedula* & *patienti* *descriptione* eorum que *doctus* *observa-*  
*tor* de morborum *invasione*, *progressu* & *exitu* *adnotaverit*,  
 & *eadem* quæ *adnotavit* *simplicitate* (non curiositate) *char-*  
*teris* *exposuerit*, *nihil addendo de suis*, *nihil de librorum*, *alia-*  
*rumque* *scientiarum* *præscriptis*, sed uti paulo supra incul-  
 cat, *ex saluberrimis* *duntaxat* & *purissimis* *naturæ* *fontibus*.  
 Vigent itaque circa historiam, medicam innumeris indif-  
 ferentismi, qui veram & genuinam facti speciem con-  
 fundunt, & ipsi experientiæ reliquæ medicæ damnum  
 & offen-

& offenditionem conciliant. Maximi indifferentismi quoad historiam medicam occurunt in hæmorrhagiæ & Febris nōgotio & speciebus, qui effectus si modo in individuis intueantur, & diversæ explicationes de iisdē attendantur, facile apparebit, quomodo nonnunquam theoriæ indifferenter, acrimoniam & vellicationem, adeoque effectus ex acrimonia & vellicatione orientes diversimode recitat, ipsam vero historiam affectūs, ratione ortūs, frequentiæ, successūs exitus & eventus multis modis confundat, indifferenter explicet, applicet & exhibeat. Neque interest multum de hac materia eloqui, dum quotidianus usus asserti nostri veritatem & constantiam ob-signabit,

## §. XX.

Insignis etiam indifferentismus frequenter in praxi medica occurrit, quoad ipsam *methodum medendi*. Est certè justa & prudens methodus clavis ad arcana medica, ut merito omnes periti & prudentes practici ad methodum praxeos medicæ sollicite & accuratè provocent, eandemque urgeant. Quæ verò medicina veram methodum possideat, ardua est quæstio, & non nihil odiosa, quam decidendam haud assumimus, cum pressius explicationem nostram non attingat: illud verò à nobis non reticendum est, quod multa adiaphora in medicina obtingant, circa methodicam artis tractationem. Quot capita, tot sensus, quot theoriæ, tot methodi, non rarò verò etiam plane nullæ servantur: Indifferens theoria infert indifferentem methodum, ni praxis plane à theoria se-juncta sit. Cordatior quidem medicina, quando theoriæ nexū cum praxi obtinere & invenire non valet, attendit sedulò *genium morbi* & ad eundem ipsam methodum instruit, unde illæ practicæ cautelæ audiuntur: Diese oder

jene Krankheit / leide nicht / daß man Sie so oder anders angreiffe/ diese Krankheit wolle also tractiret seyn. Et ita magis per empiriam edocta, discit, svadet & commendat methodum morbo convenientem. Ex indifferentismis verò Historia morbi, plurima adiaphora in methodo occurunt, ut vel primo generalia & universalia præmittantur, nescias quandoque an etiam talia præmittere præstet, sub indifferenti consilio & tentamine: wir wollen ein gelindes laxans, oder vomitiv verschreiben. Wann irgend etwas in dem Magen oder Gedärmen lieget / si forte! es kan nicht schaden/ wann wir etwas vor den Magen oder vor das Herz zu stärcken verschriften: sit ita pingatur Rec: confect: alkermes, aut elix. Pr. Par. Es sollte nicht undienlich seyn/wann wir es mit einer Blutreinigung anfingen. Was meint der Herr Patient, wie ihm ein Kräutertranklein anstünde? Resp. dīs muß der Herr Doctor wissen ob es mir nützlich oder dienlich sey! wohlgeredt/ fiat, Msc. detur , signetur herzstärkender und abdiender Kräutertrank. Et quis porro recitabit ejusmodi indifferentismos, circa initium methodi practicæ. Datur alia medicina , quæ ita indifferenter cum Venæseptionibus, alia cum vomitoriis, rursus alia cum purgantibus methodum medendi sub magno indifferentis moinchoat, quandoque sine respectu ætatis, naturæ, temporis, morum, consuetudinum, sensibilitatis, & verigenii morbi, quostamen respectus *Hippocrates* notanter urget passim in Scriptis suis. Tantum etiam alibi occurrit indifferentismus; ut primò purgare, deinde sanguinem educere, & tertio clysterium dare, in uno morbo & successu indifferenter pro prodromo methodi venditetur

vindicetur, & sedulò exerceatur, wann eines nicht hilfft / so hilfft vielleicht das andere / wir wollens probiren. Neque deest medicina, quæ planè nullam methodum attendit, & pro adsurdâ re declarat, quando Medicus se legibus tam exquisitè & sollicitè adstringere vult: probandum & tentandum esse asseverat. Wir wollen dies probieren / wir wollen jenes probieren; dieses remedium hat sonst unter meinem Gebrauch kräftig den Schweiß getrieben/ und doch darbey die Nerven gesteckt / wir wollens jezo auch versuchen. Modo laudantur Panaceæ & polychresta, alibi arcana, rursus specifica, cum quibus nonnunquam ita indifferenter praxis exercetur, plurimum sine effectu & eventu salvatori. Alius exclamat rursus, eines wollen wir versuchen. Ich habe ein bewehrtes mittel aus unser familie, welches meine Frau Grossmutter an vielen sehr nützlich befunden / recitantur etiam laudes magnis catalogis: & quæ passim circa ejusmodi α' μεδοδία' occur- runt, & indifferentium practicum notanter explicant & testificant.

### §. XXIX.

Non occultandum est illud, quod Celsus in lib. 3. c. 1. de Medicina prouidè edocet: istud ignorari non oportet, quod non omnibus aegris eadem auxilia convenient, & quod alibi dicit, non eadem omnibus & in similibus casibus opitulantur. Pertinent hæc dogmata ad nostram explicationem, ubi etiam adiaphora circa remediorum exhibitionem explicare placet. Conspicuus est indifferentismus practicus v. g. remedia antipestilentialia, antifebrilia, alexiteria, vel in omni febre, vel in omni subjecto exhibere, indè fit, ut ejusmodi ambiguus effectus nonraro ex indifferenti tali usu eliciant-

eliantur & eveniant : Occurrunt huius æquivocationis querimoniæ passim ; ich wundere mich/dieses remedium hat mich sonst nicht stecken lassen/ und hier will es doch nicht anschlagen : ich hab sonst gar viel auf dieses remedium gebauet ; dieses remedium ist von diesem oder jenem autore zu diesem affect sehr gelobt. Sed conciliandum etiam est, quod citatus *Celsus* in eodem loco dicat : oportet inquit itaque, ubi aliquid non respondit, non tanti putare aut borem, quanti agrum. Par effectus obtingit ex indifferenti usu *adstringentium* in hæmorrhagiis, *antepilepticorum*, *antispasmodicorum* &c. ut non raro sinistros effectus conspicere liceat ; ubi, quidem sub specialiore illo fine *adstringendæ hæmorrhagiæ*, *adstringens* adhibitum fuit, sed sub indifferenti generaliore consideratione modo *adstringatur*, sine respectu morbi, motus, habitus, impetus, ordinis, usus, consuetudinis, sensibilitatis &c. in hisce enim tanquam specialioribus rationibus ille indifferentismus noxius concentratur & inclarescit ; Neque omittendum præterea est, cum communis materiæ medicæ commendatio multis frustrationibus & delusionibus scateat, quando unum aut alterum remedium præ aliis efficaciam suam constanter exserit, quod si de hinc illud remedium omnibus subjectis, & omni tempore in eodem etiam casu & affectu exhibeat, evenit nonnunquam diversos effectus enasci , nequè illam suam constantiam ubique in omni usu, individuo, & tempore comprobare ; unde hujus remedii virtus in dubium vocatur , certè non aliundè, nisi ab illo crasso & abominabili indifferentismo , quippe qui multis ejusmodi erroribus committendis inservit, cum laudabile etiam remedium, si in justo tempore,

convenienti ordine, certo subjecto & aliis necessariis circumstantiis exhibitum fuisset, non alium, nisi laudabilem & salutarem effectum edidisset: v. g. Laudantur communiter quædam radices aciores, calidæ ita dictæ, aromaticæ, subtile, in febribus, tanquam egregium remedium diaphoreticum, expellens venenum, uti pulvis ex septuaginta radicibus: harū radicum licet quædam ita absolute contemni non queant, si verò ita indifferenter exhibeantur, alibi sudorem largissimè pellunt & eliciunt, alibi verò anxietatibus, inquietudinibus, agrypnis & asphyxiis cum externâ siccitate, internâ verò angustiâ inserviunt, cujus rei experientia innumera testimonia subministrat. Fuit hic indifferentismus, qui ex crastinâ empiriâ emanavit, causa tantarum frustrationum & incertitudinum in re & materia medicâ, cum remedia, si suis causis, temporibus, subjectis, rite & peritè reservata fuissent, insigne conimodum, & utilitatem perpetuam promisissent & exhibuissent: hæ verò diffusiones & indifferentes applicationes, non aliam nisi mancam, sterilem, imperfectam, dubiam, fallacem, & inutiliem multis modis materiam medicam reddiderunt. Huic indifferentismo subinde efficaciter inservit illa multitudo & farrago remediorum & illa frivola spes, wenn eins nicht hilft / seynd noch mehr verhanden / quasi unum ex hisce certò auxilium ferre debeat: imò gloriatur non nunquam Medicina, quod tam latissimum campum experimentationis tentaminum & conaminum habeat, & possideat; gestit quandoque ipsa met extali armamentario modo hoc, modo illud deprecere, & quia cum talibus laudibus, publicis fortè testimoniis ornatum prostat, ita sine ulteriore consideratione

ad affectum præsentem prompto animo, & paratisimo ausu exhibere, & non alium nisi encomiis suis convenientem & correspondentem effectum expectare ; sed certè sub omni hâc bonâ spe & intentione in tali indifferentismo, ut plurimum manifestæ occurunt delusiones ; dehinc oriuntur illæ dubitationes, & unus talis indifferentismus, quasi sentina errorum mille adiaphora parturit, offert, & disseminat.

## §.XXII.

Adiaphorum practicum præterea est sine consideratione individualis genii morbi ad *scriptam literam* & communem practicam commendationem res suas in arte medicâ & ipsâ operatione instituere & gerere. Ast minimè equidem conatus Medicinæ practicæ atro carbone depingere consultum ducimus, sed laudamus merito tanta studia, & operas bonis avibus nonnunquam ceptas & cum fructu perductas, interim aureum illud manet monitum, quo quasi pro perpetuo Epilogo & non omitendâ commendatione, verum Judicium practicum commendatur & iniungitur , sub illa fidei Emphasi , quasi ejusmodi monita practica si sine judicio discernente, ita indifferenter & inconsideratè ad effectum deducuntur, irrita, insalubria, & infructuosa futura essent, ut non proficiat tantum hanc illam aut aliam methodum insequi & imitari , sed justè ipsum individualem statum morborum considerare, & secundum hanc rationabilem dijudicationem consilia & auxilia ferre. Ut rem exemplo illustremus , certè unice ex experientiæ fontibus profluit, quod infantes diversimode variolis laborent aut morbillis, alii mitius, temperatus, remissius & tranquillus, alii etiam gravius, acerbius, vehementius, sub

insigni anxietate, ardore & inquietudine; & quod de-  
 nique adultiores communiter ægrius se se habeant, in va-  
 riolis, & morbillis; talem statum ita indifferenter ab  
 illâ materiæ malignæ copiâ aut pravitate arcessere haud  
 licet, quodsi enim in quibusdam, aut adultioribus major  
 malignitas adesset, certè etiam major corruptio invales-  
 cere deberet, quæ verò nonnumquam vel planè non, vel  
 etiam parcius insoleicit, talis, inquam, communiter voca-  
 ta corruptio, quam sub nomine actuum & effectuum  
 in iisdem morbis inferre placet, in tenellulo verò cor-  
 pusculo & ægrotante sub mitiori statu, exanthemata ta-  
 lia placidius, largius, & facilius erumpunt, & hanc ita  
 appellatam corruptionem offerunt: unde talem diffe-  
 rentiam ita *indifferenter absolute* materiæ adsignare haud  
 vacat: huic enim inclamatæ corruptioni si per conse-  
 quens efficaciora & penetrabiliora Bezoardica, alexi-  
 pharmaca, diaphoretica remedia adhibentur, præcipue  
 acria, non aliis ut plurimum effectus inde procura-  
 tur, quam major anxietas, inquietudo, ardor, angustia,  
 & nulla conveniens & legitima expulsio, sed titubans  
 & hinc indè, modo ad externa, modo ad interna, vario-  
 larum commotio, & turbatio, ut sub ambiguo tali sta-  
 tu communiter patientes pereant & succumbant: præ-  
 stat itaque ad individualem habitum morbi prudenter  
 respicere, neque indifferenter sed cum discretione iudi-  
 ciosâ morbum tractare: Ita illis etiam innotescit, qui  
 temperamentorum prudentem cognitionem habent,  
 quod choleric temperamenti subjecta ardentius & ve-  
 hementius febribus decumbant, quam sanguinei tem-  
 peramenti, non præjudicante materiâ, quasi in chole-  
 ricas humores subtiliores essent, aut cum multo Sulphu-

re remixti, cum sanguineorum humores, ratione nobilitatis suæ quoad essentiam haud inferioris ordinis & æstimationis sint, sed tantum quoad fluxilitatem deficiant, quæfluxilitas verò per motum febrilem facile conciliatur, ut adeò in materiæ differentiâ fundamentum ita absolute positum non sit. Hinc præstat secundum individuum habitum & motus praxin instruere, neque sub crasso indifferentismo singula subiecta universali consilio & curâ tractare; haud enim eadem omnibus prosunt, licet magnos titulos contra febres, contra malignitatem, contra miasmata contagiosa, & apospasmata, contra acrimoniam &c. gerant & communiter servent.

### §. XXII.

Magno pariter numero ad adiaphora pertinet commendatio methodi & remediorum universaliorum, sub quibus, multis certè locis & occasionibus, tam malus indifferentismus quandoque committitur, ut in omni febre, & omni subiecto vel anoterica, vel catoterica purgatio, alibi etiam sanguinis eductio præmittatur, & huic methodo tam firmiter & acriter insistatur, ut nihil reatum esse aut fieri æstimetur, nisi hæc talia universalia consilia commissa & præmissa fuerint. Non tantum hæc dicimus, sed pér quotidianum usum & experientiam confirmamus, ut illam modo attendendam esse, sicerè suadeamus, quando hujus asserti nostri veritas in dubium vocari vult. Minimè interim nobis decidendam, neque eliminandam sumimus Empiriam crassam admodū & inconsideratam, sed illam modo praxeos indifferenter, exercitationem attingemus, quæ rationabili methodo inniti contendit, attamen autoritatibus capta, hoc adiaphorum

phorum committit. Neque jam de eo loquimur, an V. S. in febribus conveniat, sed damnamus illud generale refugium ad talem sanguinis educationem, nescias sub quibus sterilibus conceptibus orgasmi febrilis per eandem temperandi & infringendi, aut malignitatem & materiam peccantem ubique imminuendi, aut qualiter cunque declamatam noxiam plethoram deplendi, ut quidem non inauditum sit sub tali V. S. indifferenter adhibita, indifferenter patientem & ambiguè è morbo evadete, cui de hinc neque bene neque male est, ut adeo sincerè contestetur, daß er nicht recht gesund / auch nicht recht frisch wäre / könnte sich aber doch nicht erholen / hätte so schwärre Glieder / und empfinde eine beständige Schwäche: es liege ihm so sehr im Kopf müsse wieder anfangen gehen zu lernen/ wie ein kleines Kind. Talis est indifferens evasio è morbo & indifferens & consequens morbi & ejusmodi & non aliam consecutionem habent illi indifferentes purgantium & vomitoriorum usus in praxi medicâ; facile quidem est vomitoria & purgantia præscribere & commendare, sed providentiam & prudentiam meretur consideratio, quando, ubi, quomodo, & quare eadem convenient, siquidem non omnis morbus crudam ejusmodi evacuationem tolerat, neque in *omni morbo* crassa ejusmodi recrementa pertimescenda sunt, talia inquam quæ vel morbum causare, fovere, vel exagitare debeant: de quibus generalioribus auxiliis illud meritò valet, quod Celsus eloquutus est: *eadem, inquit medicamenta sàpè salutaria, sàpè vana sunt*, & cum quibus remediis in indifferentismo tali denique eo prolabi datur, *quos ratio non restituit, temeritas adjuvat, rarissime* verò

verò restitutioñem adjuvat θεασύτης, απεχνίν σημαίνει  
 ex quâ ignorantia, imperitiâ πανος θεσαυρος και πανον πε-  
 ριήλιον τοῖσιν εχθρων αυτεν̄ profluit, secundum Hippocratis  
 aureum monitum. Eo etiam pertinet indifferens com-  
 mendatio remediorum Bezoardicorum, diaphoretico-  
 rum, alexipharmacorum, alexiteriorum, antipestilen-  
 tialium, nervinorum, analepticorum, confortanti-  
 um, Balsamicorum, &c. Tam ingens enim abusus &  
 indifferentismus viget in medicina, ut, quibus forte ven-  
 ter dolet, & quos artuum gravitas angit, illis remedia dia-  
 phoretica, sacrī veluti commentationibus iniungan-  
 tur: Er muß was zu schwitzen einnehmen / quasi intra  
 cutem & carnem eiusmodi Miasmata aut spicula irreti-  
 ta delitescerent, quæ Bezoardicā expulsione indigerent,  
 aut quasi in reliquā massā sanguineā talia apospasmata  
 confluant, quæ per crassam exsudationem ejici debe-  
 ant: Non quidem denegamus aut reiicimus præsentiam  
 nonnunquam heterogenearum substantiarum in massā  
 sanguinea, Sed illud adiaphorum contemnimus, quando  
 sine reliquā ratione primum statim refugium ad corrup-  
 tam talem crasim formatur, ut dehinc ex indifferenti  
 ejusmodi opinione indifferens auxilium obtrudatur, hu-  
 ic affectū speciei neque conveniens, nequè medelam  
 afferens; ita abominabilis perinde indifferentismus oc-  
 currit in generali analepticorum applicatione, ad ge-  
 neralem & universaliorem methodum pertinente: pro-  
 fluit hoc adiaphorum ex illâ malâ discretione *anxietatis*  
*moralis* per certam *estimationem* de statu præsente for-  
 matæ, & *physice* ex *materiarum* vitio & perversione ena-  
 tæ: ubi frequentissime, quando forte *anxi* conspiciuntur  
 ægri, maximè in affectibus acutis & malignis, plurimum

**moraliter** tales, primum solatium in analepticis quæritur: der patient muß eine Herzstärkung bekommen/ undē analeptica, Balsamica, calida nonnunquam magno numero offeruntur, ex quorum usu ut plurimum ægrus & molestius sese patientes habent, magisque anxi, inquieti, & viribus destituti, quod vernacula hinfällig appellat, deprehenduntur. Placet hujus rei adhuc unicum totum practicum monitum pro confirmatione Theseos nostræ allegare: Podagrici qui partim per æratem, partim etiam per vigorem cum hypochondriacis pathematis colludunt, experiuntur hinc indē insignes palpitationes cordis, de quibus non deest notitia, quod nonnunquam à debilitate cordis aut nervi cardiaci deducantur, quam remediis cardiacis, analepticis, volatilibus corrige-re velle non latet; quo magis verò talia analeptica offeruntur & adhibentur, eo magis insolescit illâ palpitatio, non tam cum molestiâ summâ continuans, sed cum periculo frequentius reiterans, ut patientes denique ipsi ejusmodi confortantia remedia aversentur & exhorrescant. Possent huius indifferentismi adhuc plura documenta practica allegari, si non diffusior thematis nostri excursio nostro proposito resisteret: undē quidem jam de adiaphoro circa universaliora remedia supra egimus, id quod vero in hâc Thesi in experientiâ magis commendare dignum judicavimus.

#### §. XXIV.

Cum temeritatem & audaciam in praxi medicâ ad adiaphora itidem retulerimus, quas communiter secundum tritum dicterium fortuna adiuvare debet, ita ejusmodi audaciæ adhuc aliquot specimina in medium proferre placet: Habemus in Medicina pragmaticos quos-dam

dam canones, quos insequi in rationali Medicinâ neque  
 dignum semper, neque consultum est: ita vulgo dicitur  
*contraria contrariis curantur: ambiguo sacerdos praestat ambi-*  
*guis remediis curare: praestat anceps experiri auxilium, quam*  
*nullum: quamdiu aeger adhuc respirat, experimentandum est:*  
 qualia monita non solum crassis adiaphoris committen-  
 dis & inferendis facile inserviunt: sed an iisdem in praxi  
 Medicâ frequenter passim auscultetur, certè non dubi-  
 tandum, sed tantum attendendum & observandum. Ita  
 hinc indè maximè indifferenter fluxus tam san-  
 guinis quam seri per contraria, id est obstipantia, adstrin-  
 gentia, occludentia curantur, testimonio hæmorrhagia-  
 rum, & ex hisce specialissimè hæmorrhoidum; factæ ve-  
 rò adstrictiones, quando periculum portendunt & proxi-  
 mè inferunt, aperitivis ita dictis, volatilibus, impellenti-  
 bus, commoventibus, variisque vias & humores exagi-  
 tantibus indifferenter nonnunquam tractantur multis  
 locis & occasionibus; hinc vacat ad illud *methodicorum*  
*pragmaticum provocare, quod strictum, sit relaxandum,*  
*& laxum stringendum.* Calor per frigus, & frigus per  
 æstum passim curatur; motus, qui nonnunquam male  
 dijudicantur, quasi deficiant, stimulantur & exacerban-  
 tur, & qui pro morbidis perperam declamantur, coer-  
 centur, conspiuntur & supprimuntur, & ita contraria  
 contrariis varie quandoque curantur. Quis vero hujus  
 indifferentismi & curæ sit effectus & eventus, non argu-  
 tari decet, sed tantum aspicere & experientiam accu-  
 rate advertere, & conciliare. Non designabimus specia-  
 lissimo eventus, sed tantum dicimus quod ex ejusmodi  
 adiaphoris plaustra errorum practicorum exoriantur &  
 desultent. Neque illa ambigua remedia unquam verè

atque rationabiliter ambiguum morbum curabunt, sed ambiguos tales effectus sortientur, quibus ars medica rationalis inhærere, indulgere & innitti nunquam potest: pertinent rectius & verius ejusmodi consilia ad temperitatem illam & indifferentem medicinæ exercitacionem, unde non incognitæ illæ crudiores indifferentissimi excusationes circa experimentationes, quando communiter dicitur: hilfsts nicht so schadets nicht/ cum non sufficiat non nocere, sed juvare præstet, pro illo enim scopo obtinendo & eliciendo ars medica inventa & exulta est; præstat deinde rectius nihil adhibere & non ita temerè tentare & experimentari, illud enim nihil adhibuisse æquè nequè nocet, quandoque neque iuvat: Interim nonnunquam eventus contrarium edocet, quod illud, de quo quasi sub certâ dexteritate, sinceritate & sponsione prædicatum fuerat, quod si non juvet, attamen non noceat, quod illud inquam nihilominus noceat & tantum reliquum morbi decursum ita invertat & implicet, ut si non confessim & extempore nocumentum suum obsignet, tamen reliquis successibus & ordinibus præjudicium, impedimentum & periculum inferat. Unde nequè ratio sana & ars vera medica suadet, injungit aut promittit, illud adiaphorum comittere, quod anceps remedium magis præstet quam nullum, in quo ambiguo remedio neque ratio, neque experientia vera valet, sed utraque deficit, & tantum fortuitus quidam effectus & eventus crude exspectatur: absit illa audacia θεατύνειαι medicinâ rationali; Empiria crassior eandem jubet, imperat & defendit: præstat nihil potius usurpare, & scientiam & conscientiam suam servare, quam ita crudius sorti tantum & fatis indulgere; vulgares enim sunt illæ elocutiones

nes: gerath<sup>s</sup> wol/ so ihs gut/ gerath<sup>s</sup> nicht/ so hätte man doch so vtel darben gethan als man gefundt/ und die dogmata practica befohlen. Quorsum etiam pertinent illæ indifferentes tentationes, sub spe, forte iuvat.

## §. XXV.

Superessent quidem adhuc multa pro thematis hujus latiore illustratione ab experientiâ petenda, cum verò partim fundamentalia exposuerimus, partim ultra propositum nostrum scopum progressi simus, lubet paucis adhuc officium Medici circa *adiaphora* practica pro conclusione tractationis nostræ addere. Varia nunc practica adiaphora exposuimus, & quantum fieri potuit, eorundem origines & prima capita explicavimus; interim non defuit ratio & occasio passim aliquod monitum circa officium Medici in indifferentismo Medico & circa eundem proferre; unde brevi quasi recapitulatione in ordine quædam repetenda sunt: In adiaphoris historiam Medicam concernentibus sollicitus ante omnia sit Medicus, ut fidem historicam obtineat, id est, ut certus sit hujus rei, quæ fieri aut facta dicitur & offertur, ut cautus etiam sit, ne quamlibet oblatam observationem pro historiâ practicâ assumat, multa enim observantur sine ordine, siue nexu, sine comparatione, sine successu & sine exitu; quæ circumstantiæ, si non ad *historiam practicam* referantur, multis modis reliquam historicam relationem confundunt, & male fidam reddunt; unde præstat scire, *quid fiat, quoties fiat, quando fiat &c.* quid ipso actu & effectu contingat, quid eveniat sponte, simpliciter, per se, sine artis concursu, ex ipsâ *Indole, essentiâ & genio morbi,* aut qualem se morbus gerat & offerat; *quoties fiat;* an ex vera, genuinâ & simplici morbi conditione & indole tale

G 3 quid

quid fiat, an semper in tali morbo simplici fiat, adeoque  
 testificet, quod nullus talis morbus sine talibus circum-  
 stantiis, apparatus, successibus, effectibus & eventibus  
 fieri queat, & fieri soleat, si simplex est; & quando deni-  
 que fiat; ut sciat, methodum, ordinem, modum, Ty-  
 pum, Tempus morbi; adeoque certus sit, in omnibus  
 hisce maximè necessariis circumstantiis: multa enim oc-  
 currunt in historiâ practica quæ ficta quandoque, & tan-  
 tum per frivolam illustrandi speciem & larvam excogi-  
 tata sunt, quæ dehinc minimè illustrant, sed obscurant.  
 Si medicus veram & simplicem historiam è rationabili,  
 & attenta experientiâ petendam, scit, quippe quæ non  
 ex ideis theoreticis formata, sed quæ ex ipso facto  
 prodiit, & enata est, tunc facile vel complicatos, vel cor-  
 ruptos, vel fictos morbos cognoscere poterit, & quomo-  
 do arte medicâ eosdem tractare, regere, & se in iisdem  
 gerere, moderari & offerre debeat. Quod si enim ullus  
 talis indifferentismus, de quibus egimus in historiâ me-  
 dicâ practicâ occurrit, ipsa etiam ars medica delinquit,  
 iners & fallax evadit: hinc convenit experientiam conci-  
 liare, & illam veram, exquisitam, & à superflua speculan-  
 di voluptate alienam, nequè recitatiunculis & relationi-  
 bus historicis, quid quod nonnunquam observationibus  
 Medicis temerè, præcipitanter & inconsideratè fidem &  
 applausum addere. Deinde cum in *methodo medendi* va-  
 ria adiaphora occurrant, *Medici officium* esse debet, ve-  
 ram methodum non ex fingente cerebro formare, sed  
 ex ipsâ Indole morbi, quales secretiones & excretiones  
 morbus affectet, inferat, offerat, habeat, aut habere velit &  
 toleret, quibus motibus ad ejusmodi excretiones vergat  
 & deveniat, & licet hinc indè ex individuali hominū ratio-  
 ne hi apparatus à verâ constantiâ ordine & vigore defleant, prospiciendum  
 erit, qualē alias simplex, liberius & tranquillior indoles morbi, ordinem

& successum servârit, & an secundum hujus iudicium rationem qualiscumque motuum moderatio expediat & ex usu sit: qui enim morbi Indoli & essentiae sese non applicat, ille cum contrariâ methodo experietur, quæ experiri nunquam optaturus esset: Ingens hujus rei documentum præbet genius febrium, qui unicè ad secretiones & excretiones speciales & speciassimas tendit, imò qui sine hisce nunquam decurrit, aut cum hisce convenienter administratis salutariter terminatur & exit: ita si febres exanthematicas illas, quæ unicè ad periphericam exhalationem abeunt, remedis purgantibus, vomitoriis, aut sanguinis evacuationibus curare velle & posse quisquam pollicetur, aut aggrediatur, certè nihil aliud committit, quam quod contra febris indolem agat, & methodum non ex febre, sed ex opinionibus suis desumat: Tam providum pariter Medicus se gerere debet, partim in remediis universalioribus, partim aliis passim ad unum eundemque morbum laudatis & commendatis, sed convenit distin-  
ctè & prudenter individualem habitum ritè perlustrare: ita enim quotidiana edocet experientia, quod unum remedium uni profuerit, alteri no-  
cuerit in uno eodemque morbo, undè rite ille sèpè laudatus medicorum Cicero eloquitur, *non eadem omnibus etiam in similibus casibus opitulantur;*  
& quæ in uno forte fuerunt diaphoretica, in altero magnis anxietatibus, in-  
quietudinibus, aliisque anomalis effectibus inservire poterunt & fuerunt;  
hinc prudenter attendere debet Medicus habitum verum cuiuscunque ho-  
minis & ægrotantis, sensibilitatem, mores & specialiter etiam mores, secun-  
dum quam notitiam peritè, cautè, non temerè, non improvidè, sed pru-  
denter & convenienter artem medicam instruat & exerceat; neque tan-  
tum auctoritatibus unicè innitatur, sed proprium judicium, assiduitatem  
& experientiam adhibeat. His enim, dicit Hippocrates, quæ non secundum  
rationem levant credere non oportet. Neque timere valde quæ præter ratio-  
nem sunt prava: multa enim horum sunt inconstantia, incerta, neque mul-  
tum perdurant, neque diutius perseverare solent: hinc experientia attenta  
& rationabilis, huic rationi subvenit. Et hæc sunt quæ brevissimis ad-  
huc de officio Medici circa adiaphora repeterem & explicare dignum judi-  
cavimus. Deo interim omnis veritatis fonti pro præstito auxilio in nostro  
officio circa officia explicanda humillimas grates, laudem & honorem tri-  
buimus, cum devoto suspirio, ut nobis & omnibus, qui certitudinem affe-  
ctant, perpetuâ suâ gratiâ. clementiâ & directione assistat, & faveat.

## Errata Typographica.

Pag. 4 lin. 18. leg. ιγτεικη & lin. 19. leg. Φιλοσοφος. Pag. 6. lin. 8. leg.  
artem Medicam. Pag. 8. lin. 2. leg. allaborent. Pag. 15. lin. 24. leg. minime.  
pag. 16. lin. 18. leg. ευ. & lin. 30. leg. illis. Pag. 26. lin. 11. leg. ast verò.  
p. 28. lin. 19. & 20. leg. morbidas. p. 29. lin. 17. leg. in theoriis. pag. 34. lin.  
22.23. leg. indoli. pag. 42. lin. 18. leg. α μεθοδια. ib, leg. §, XXI. pag. 47.  
leg. §. XXIII.

Nobili Ornatisimo ac Dodisimo

# DN. DEFENDENTI

hæc sincera manu apposuit

**Q**Vid mea musa facis? nondum gratularis ovanti?  
Pandis Victori carmina nulla tuo?  
Rumpe moras, meritos quid plausus sola moraris?  
Adsis Pyeria ludere docta lyra.  
Vive serenatos *Interpres* vive per annos,  
Exigit hoc virtus, assiduusque labor.  
**A**rtem pergit Apollineam explanare, labori  
Debebit multum sIC MeDICIna tVo.

**Francisc. Sebaſt. Scharff,**  
Philos. & Med. Candidat. Cognat.  
& Patriota.

---

**I**N tanto bivio vitæ frequentius anceps  
Ambiguusquè animus multa sinistra capit;  
Ast quæ recta docent, doctè defendere monstras  
RESPONDENS chare. Sint bona cuncta Tibi.

*Amoris & memoriæ ergo hiscè brevibus de egre-  
gio hoc Specimine æstumatissimo suo Dno.  
Contubernali & amico gratulatur opponens*

**George Glockengießer**  
Med. Stud.

